

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**D. Adami Rechenbergi Consensus Orthodoxus Cum Verbo  
Dei, libris Symbolicis & probatissimis Theologis gnēsiōs  
Lutheranis, inprimis Saxonici antiquis, De Gratiae  
Divinae Termino, oppositus Malevolorum ...**

**Rechenberg, Adam**

**Lipsiae, 1701**

**Animadversio**

**urn:nbn:de:bsz:31-105727**

## Animadversio.

**H**ic si *Compilator per Diatriben*, meam de *Grat. Revocat. Termino* Disputationem intelligit, fallit lectorem. Nullum enim verbum hujus questionis ibi extat. Respondere ergo illi ad hanc falso mihi affectam questionem non tenebar, donec verba mea produxisset. Liberaliter tamen cum homine agam, cumque melius circa quæsitum, ex Theologis orthodoxis Saxonics, paucis informabo. Confundit ille, ut ex allegatis testimoniis adparet, duas hic distinctas sententias. Aliud enim querit, aliud probat. *Questio* ejus est de subtractione gratiæ in auscultatione verbi salutari necessaria; hanc respectu contumacium & induratum ob eorum malitiosam reluctantiam evenire, cum S. Scriptura & senioribus Theologis omnibus affirmo. *Probatio* autem *Compilatoris* ex testimoniis Theologorum perita, de insita, nativa & ordinaria verbi efficacia, quæ in omnibus auditoribus malitiosum non ponentibus obicem, vim & operationem salutarem æqualem & exserit; hanc ego nunquam in dubium vocavi. Itaque frustra mihi *Hülfemann*, *Alberti* & *Nic. Hunni* verba occinit; quippe quæ de efficacia verbi per se insita & ordinaria atque æquali testantur. Enimvero, qui dicit verbum Dei ob nativam & insitam virtutem solam, apud induratos ac adeo Spiritui S. cum isthoc operanti præfracte & constanter resistentes efficaciam salutarem exserere, S. Scripturæ omnibusque Theologis sanis obloquitur. *Ebr. IV. 2.* *Auditus verbi non profuit* (induratis) *quia fide* (*μὴ συγκρατέος*) *contemporatus non fuit*. Ita *Joh. XII, 38. 39. 4.* *Ef. VI, 9.* *Mattb. XIII, 13. scqq.* Judæi verbum Dei audiverunt, sed efficaciam ejus salutarem, ob repugnantiam malitiosam non senserunt; ideo nec crediderunt. Quæ vero causa, cur gratia ista Spiritus S. cum verbo operatrix *1. Cor. III, 6.* induratis subtrahitur? Eam Christus *Mattb. XIII, 12. scqq.* innuit: Unde *Hülfemannus* Comment. in *Jerem. cap. II. 24. 25.* scribit: *Nec ulla verbi divini tractatio apud homines peccatis immersos amplus*

plus valet, Prov. XXIII, 34. 35. Ag. Hunnius in c. VI. Joh. p. 174. 6. scribit: *Indurati, si maxime audiant verbum Dei, id vero in ipsis non fructificet, non certe absolutum aliquod Dei decretum accusa, re possunt, sed justum Dei iudicium agnoscant, quod exercet in iis qui plane diabolico omnium admonitionum contemtu, in misericordiam Dei ex propenso peccarunt.* Hinc D. Hutterus cum Formul. Concord. in explicat. art. II. p. 173. distinguit auditum verbi externum ab interno; hic in obduratis desideratur, licet externum habent. Interim in contumacibus & induratis aliam virtutem exserit, quam Balduinus in Epist. ad Ebr. c. IV. f. 1574. exprimit: *Verbum Dei vivum & efficax in utramq; nimirum partem, sive accipiatur sive repudietur; in iis enim, qui recipiunt, operatur virtutem ad salutem, NB. in ceteris maiorem damnationem: illam virtutem in se habet per accidens, obicem nimirum ponentibus hominibus operanti Spiritui S. adde Jerem. V, 19. Inepti ergo sunt, qui verbo Dei semper, non habito discrimine auditorum, vel objecti, operationem salutarem & conversivam tribuunt.* Sed tamen utique etiam efficax est verbum Dei in reprobis & contumacibus, quippe quos impietatis convincit, reddit avorataꝝ, ipsisq; fit per accidens *odor mortis ad mortem*, 1. Cor. II, 16. Atque hoc D. Alberti noster l. c. quoque docuit, quem Compilator mili*hi* in epte opponit. Idem enim in Disput. de Term. Grat. revocatr. §. 45. tradidi, & alias docui. D. Joh. Tarnovius comment. in Psalm. Passional. in CIX. part. 2. ex vers. 24. *Quo plures conciones Christus habebat, quo plura, majora ac illustriora miracula edebat, eo magis Pharisai, aliisque increduli Judai indurabantur & pertinaciores reddeabantur. Ut a sole sub hemispherium nostrum digresso, sequuntur tenebre; ita ubi Deus suam oblatam & spretam illuminandivim subtrahit, justo suo iudicio oculi mentis ex seipsis caligant &c.*